



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 34. Baji Propositiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

„tur. Magno etenim mærore affici- Sæcul. XVI.
 „mur, quod plerique, spectatæ alioqui A. C. 1567.
 „probitatis, & doctrinæ, in varias sen-
 „tentias, offensionis, & periculi ple-
 „nas, tum verbo, tum scriptis pro-
 „rumpant, deque eis, etiam in Scho-
 „lis, invicem controversentur, cujus-
 „modi sunt sequentes.

§. XXXIV.

Baji Propositiones.

Ex Libro I. de meritis operum.

I. Nec Angeli, nec primi hominis
 adhuc integri merita recte vo-
 cantur gratia.

II. Sicut opus malum ex natura
 sua est mortis æternæ meritorium, sic
 bonum opus ex natura sua est vitæ
 æternæ meritorium.

III. Et bonis Angelis, & primo ho-
 mini, si in statu illo perseverasset usque
 ad ultimum vitæ, felicitas esset merces,
 & non gratia.

IV. Vita æterna homini integro, &
 Angelo promissa fuit intuitu bonorum
 operum: & bona opera ex lege naturæ
 ad illam consequendam per se sufficiunt.

V. In promissione facta Angelo, &
 primo homini continetur naturalis ju-
 stitiæ constitutio, qua pro bonis operi-
 bus, sine alio respectu, vita æterna ju-
 stis promittitur.

Sæcul. XVI. VI. Naturali lege constitutum fuit
A C 1567. homini, ut, si in obedientia persevera-
 set, ad eam vitam pertransiret, in qua
 mori non posset.

VII. Primi hominis integri merita
 fuerunt primæ creationis munera, sed
 juxta modum loquendi Scripturæ Sa-
 cræ non recte vocantur gratia, quo fit,
 ut tantum merita, non etiam gratia
 debeant nuncupari.

VIII. In redemptis per Gratiam
 Christi nullum inveniri potest bonum
 meritum, quod non sit gratis indigno
 collatum.

IX. Dona concessa homini integro,
 & Angelo forsitan non improbanda
 ratione possent dici gratia, sed quia se-
 cundum usum Sacræ Scripturæ, no-
 mine gratiæ, ea tantum munera in-
 telliguntur, quæ per Jesum Christum
 male merentibus, & indignis conferun-
 tur, ideo neque merita, neque mer-
 ces, quæ illis redditur, gratia dici
 debet.

X. Solutio pænæ temporalis, quæ,
 peccato dimisso, sæpe remanet, & cor-
 poris resurrectio proprie non nisi meri-
 tis Christi adscribi debet.

XI. Quod pie, & juste in hac vita
 mortali usque in finem conversati, vi-
 tam consequamur æternam, id non
 proprie gratiæ Dei, sed ordinationi na-
 turali

Sæcul. XVI.
A. C. 1567.

turali statim initio creationis constitu-
tæ justo Dei judicio deputandum est,
neque in hac retributione bonorum ad
Christi meritum respicitur, sed tantum
ad primam institutionem generis hu-
mani, in qua lege naturali constitutum
est, ut justo Dei judicio obedientiæ
mandatorum vita æterna reddatur.

§. XXXV.

Alie ejusdem propositiones.

Ex Libro II. de meritis operum.

XII. Pelagii sententia est, opus bonum,
citra gratiam adoptionis fa-
ctum, non esse regni cœlestis merito-
rium.

XIII. Opera bona a filiis adoptio-
nis facta non accipiunt rationem meriti
ex eo, quod fiant per spiritum adoptio-
nis inhabitantem corda filiorum Dei,
sed tantum ex eo, quod sint conformia
legi, quodque per ea præstetur
obedientia legis.

XIV. Opera bona justorum non ac-
cipiunt in die judicii extremi amplio-
rem mercedem, quam justo Dei judi-
cio mereantur accipere.

XV. Docet rationem meriti non
consistere in eo, quod, qui bene ope-
ratur, habeat gratiam, & inhabitantem
Spiritus Sanctum; sed in eo solum,

E 3

quod